

In III Noctúrno.

1ª Aña. Invénta sum a non quæréntibus me: palam appáruí iis, qui non interrogábant me.

2ª Aña. Sedéntes in ténebris et umbra mortis visitásti nos, Stella matútina óriens ex alto.

3ª Aña. Per te, Deigénitrix, nobis est vita pérdita data, quæ de celo suscepísti prolem, et mundo genuísti Salvatórem.

V. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël.

R. Tu honorificéntia pópuli nostri.

LÉCTIO VII.

Léctio Sancti Evangéllii secúndum Lucam C. I. In illo témpore: Exúrgens María abiit in montána. . . . Homília S. Ambrósii Epíscopi. (*Ut in festo Visitatiónis B. M. V. Responsória ut in officio próprio.*) Te Deum.

Ad Láudes et per Horas.

1ª Aña. Tota pulchra es María, et mácula originális non est in te.

2ª Aña. ¿Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

3ª Aña. Flores apparuérunt in terra nostra: te laudámus Sancta Deigénitrix.

4ª Aña. A solis ortu usque ad occásum, beátam me dicent omnes generatiónes.

5ª Aña. ¡O María! Mater clementíssima, intercede pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

Capítulum. Prov. 8.

Beátus homo qui audit me, et vígilat ad fores meas quotidie, et observat ad portas ostii mei qui me invénerit, invéniet vitam et háuriet salútem á Dómino.

Hymnus.

(*Ex S. Anselmo Epíscopo cantuárién.*)

Alma Parens, omni carens
Corruptelæ mácula,
Quam elégit qui confrégit
Diræ mortis víncula.

Clemens! præsta ut qui festa
Tua gaudent cólere
Gratuléntur et læténtur
Veræ lucis lúmine.

Primum quidem nobis fidem
Tuis auge precibus;
Spe labentes firma mentes,
Charitate robora.

Mater Dei nostrae spei
Causa et exordium,
Aufer bella et flagella,
Famem, pestem, gladium.

Egenorum et victorum
Consolare gemitum
Fave votis, dans aegrotis
Optatum remedium.

Pax et quies, nostros dies
Faciunt laetissimos:
Inimicos fac amicos,
Seda malos homines.

¡O Maria, Mater pia!
Tuum da subsidium
Ut regnemus et laedemus
Tuum semper Filium.

Pater Deus, Fili Deus,
Deus Alme Spiritus,
Per aeterna nos gubernata
Saecula, Deus Trinitas. Amen.

V. Non fecit taliter omni nationi:

R. Et iudicia sua non manifestavit eis.

Ad Benedictus Aña.

Elégi et sanctificavi locum istum, ut sit no-
men meum ibi, et permanéant oculus mei et cor
meum ibi cunctis diebus.

Oratio ut in Vesperis.

Ad Primam.

Aña. Tota pulchra es.....

*In resp. br. dicitur: qui natus est de Maria
Virgine, etiam per totam octavam. Ad absol.
Cap. Nona.*

Ad Tertiam.

Aña: Unde hoc mihi.....

Cap. de Laudibus.

Rs. br. Ambulabunt gentes in lumine tuo.
Ambulabunt.....*

*Et reges in splendore ortus tui. In lumine tuo.
Gloria Patri.... Ambulabunt....*

V. Domum maiestatis mae:

R. Et locum pedum meorum glorificabo.

Ad Sextam.

Añā. Flores apparuerunt....

Capitulum. Cant. C. 6.

¿Quæ est ista quæ progréditur quasi auróra
consurgens, pulchra ut luna elécta ut sol?

Rs. br. Domum* majestátis mæe.

Domum....

Et locum pedum meórum glorificábo.

Majestátis....

Glória Patri.

Domum majestátis....

V. Introibimus in tabernáculum ejus:

R. Adorábitus in loco ubi steterunt pedes
ejus.

Ad Nonam.

Añā. ¡O María....!

Capitulum. Apoc. C. 12.

Signum magnum apparuit in cælo; Múlier
amicta sole et luna sub pédibus ejus: et in cápite
ejus coróna stellárum duódecim.

Rs. br. Introibimus* in tabernáculum ejus.
Introibimus....

Adorábitus in loco ubi steterunt pedes ejus.
In tabernáculum ejus.

Glória Patri....

Introibimus....

V. ¡O Dómine, ego servus tuus:

R. Ego servus tuus, et filius ancilæ tuæ.

In II Vesperis.

Omnia ut in primis.

Ad Magnificat. Añā.

Leva in circúitu óculos tuos et vide: omnes
isti congregáti sunt, venerunt tibi; filii tui de lon-
ge vénient, et filiæ tuæ de látere surgent.

Et fit comm. Adventus.

AD MISSAM.

Introitus. Eccli. 24.

Veníte filii audíte me; timórem Dómini docébo
vos. Ego Mater pulchræ dilectiónis et timóris et
sanctæ spei: in me grátia omnis viæ et veritátis:
in me omnis spes vitæ et virtútis. Ps. 115. ¡O
Dómine, ego servus tuus:* ego servus tuus et fi-
lius ancilæ tuæ. Glória Patri, &
Glória in excélsis Deo.

ORATIO.

Deus, qui mirabili Beatissimæ Virginis Mariæ apparitióne, Mexicanórum gentes in confessiõne tui nóminis coadunásti: ejus gloriósa intercessiõne tribue nobis, in fide constántiam et in tentatiõne virtútem. Per Dom., &

Epistola. Benedíxit te Dóminum, ut in festo Septem Dolor. B. M. V. *Evangélium* ut in Missa *propria.*

Offertórium. Recordáre Virgo Mater in compéctu Dei ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiõnem suam á nobis.

SECRETÁ.

Immaculátum Agnum, tibi Dómine, immaculátæ sempérque Virginis Mariæ solémnia recoléntes, immolámus, et præsta ut quos amantíssima Mater apparitiõne sua, sub singuláre patrocinio constituit, eosdem in mortis agóne reficere, atque ad cœlestem pátriam perducere dignétur. Per Dom., &

Præfatio: et te in festivitáte.

Commúnio: Ps. 147. Non fecit taliter omni natione, et judicia sua non manifestávit eis.

POST-COMMUNIO.

Immortalitátis alimóniam consecúti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut sicut a B. Virgine Mariá, ejus imáginem accepísse gloriámur in terris, ita ejus conspéctu pérfrui mereámur in cœlis. Per Dom.

DIE XIX DECÉMBRIS

OCTÁVA B. MARÍÆ DE GUADALÚPE.

ÓMNIÁ UT IN FESTO PRÆTER SEQUÉNTIA.

Lectiões 1. Noctúrni ut in festo Assumptiõnis die 15. Augústi.

Lectiões 2 Noctúrni.

Ex S. Anselmo Episcopo Cantuáriense.
Orat 45 et sequent. ad Dei Matrem.

Nosti misericordíssima Regína, quod ad hoc nata es, ut per te nascerétur idem Dóminus noster Jesus Christus, verus Deus et verus homo; ut

Ipse qui erat Cōnditor hōminum, fiēret et Salvātor. Teque talem habēret Matrem, quæ pro peccatōribus intervēniens, perfēctam obtinēres eis salutē. Quaprop̄ter ineffābilis misericōrdiæ Regīna, credo quod non es vacua á visceribus pietātis quæ genuisti ipsum fontem bonitātis Dei Filium. Qui suo inenarrābili mūnere præstitit ut natūra humana ad similitudinē cōndita Creatōris, dissimilis per peccātum et mortem effēcta, nequāquam in ætērna damnatiōne periret; sed illam per te, sua immēnsa bonitāte, reparāret, et ut Tu nova et intemerāta Virgo, fācinus antiquæ Virginis expiāres. Ideo, Dōmina, omnibus sanctis mēlior et excēlsior es, etiam angēlicis spirītibus: et quod possunt omnes isti tecum, Tu sola potes sine illis omnibus, quia Mater es Salvatōris nostri. Te tacēnte, nullus orābit, nullus juvābit: Te orānte, omnes orābunt, omnes juvābunt. Ad hoc te Deus fecit sui Matrem, ut Mater fieri debēres omnium in eum credēntium. Ad te ergo confugio, quia te Fīlius tuus Dōminus noster Jesus Christus, providit nobis refūgium post se. Te igitur déprecor humiliter, esto mihi Salvātrix et Adjūtrix apud Deum, ut ipse me pius Pastor et

Princeps pacis a peccatōrum máculis emūndet, et ab infērni tēnebris erīpiat, et ad vitam perdūcat ætērnā.

LÉCTIO V.

Mémini. ¡O Dōmina! et meminisse delectābile est, quāliter ad commendāndum nobis miseris unicum patrocīnium tuum, cuidam tuo servo agēnti in extrémis revelāsti memorābile nomen tuum. Appārens enim ei, cum esset in augūstiis, et requirēns utrum te agnosceret, cum ille; «Mí-nime Dōmina,» tremens responderet, tu ei pro benignitāte tua dixisti: «Ego sum Mater misericōrdiæ.» ¡Apud quem ergo, miseri réctius ingemiscimus, quam apud te, veram et indubitātam Matrem misericōrdiæ? Mater Sancta, Mater única, Mater immaculāta, Mater misericōrdiæ, Mater pietātis et indulgētiæ, áperi sinum pietātis et súscipe mortuum in peccātis. Sola Mater et Virgo, Sancta María, hoc unum precor et óbsecro in nómine dilēcti Fīlii tui; dona mihi misero jugem et perēnnem memóriam suavíssimi nómīnis tui. Sit cibus dulcíssimus, cibus suavíssimus animæ mæ: adsit mihi in periculis, adsit in an-

CIA

se

gústis, adsit in principio lætitiæ meæ. ¡O Tu quæ vincis ángelos puritate, Sanctos súperas pietate, sana Clementíssima infirmitatem! aufert Benigníssima, languórem; sana Dómina, ánimam peccatoris servi tui, per virtútem benedicti Fructus ventris tui, qui sedet in dextera omnipotentis Patris tui, superlaudábilis, et supergloriosus in sæcula.

LÉCTIO VI.

¡Mira res! Nihil est æquale Mariæ; nihil nisi Deus majus Mariæ. Deus Filium suum, quem solum de corde suo æqualem sibi gënitum, tanquam seípsum diligebat, ipsum dedit Mariæ, et ex Mariá fecit sibi Filium, non álium sed eundem, ut naturaliter esset unus idémque communis Filius Dei et Mariæ. Deus est Pater constitutionis ómnium; Mariá est Mater restitutionis ómnium. Deus genuit illum per quem ómnia facta; et Mariá péperit illum per quem ómnia sunt salvata. ¡O vere Dóminus tecum, Dómina mea! cui dedit Dóminus ut omnis creatúra tantum tibi débeat beneficium. Sicut enim, ¡O Beatíssima! Omnis a te aversus nécesse est ut in-

téreat, ita omnis ad te conversus impossibile est ut péreat. Et sicut Deus genuit illum, in quo ómnia vivunt, sic tu, ¡o flos virginitatis, genuisti eum, per quem mortui reviviscunt. Ergo, ¡o Dómina! tu Mater es justificationis et justificatorum, gënitrix es reconciliatiónis et reconciliatorum, parens es salutis, et salvatorum. ¡O Béata fiducia! ¡O tutum refúgium! Mater Dei est Mater nostra; Mater ejus, in quo solo speramus, et quem solum timémus, est Mater nostra; Mater inquam ejus, qui solus salvat, solus damnat, est Mater nostra. ¡O Mariá! quantum tibi debémus per quem talem Fratrem habémus! ¡Bona Mater! rogo te per dilectiõem qua diligis Filium tuum, ut sicut Tu vere diligis et diligí vis eum, ita mihi impetres ut vere diligat eum.

In tertio Noctúrno.

LÉCTIO VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. C. 1.
In illo tempore: Exúrgens Mariá et reliqua. *Homilia B. Alberti Magni, Ratisbonén. Episcopi.* Intrábit Mariá in domum Zachariæ, et salutávit Elisábeth. Quam enim Dóminus

CIA

se

in benedictionibus dulcedinis prævenerat, Ipsa etiam omnes prævénit in salutis officiis. Et ideo quanvis maior fuérit, et maior á minóre consuéverit salutári; tamen ut perfécte húmilis inferiori se humílliat, et prima salútat cognátam prævénit in obséquiis charitátis. Trium autem est signum salutatio, et tribus modis perágitur: verbo scilicet pacis, ut pacíficus signétur ingrèssus; occúrsu córporis, ut concors in omne bonum notétur afféctus; et ósculo oris, ut únio spíritus in charitáte designétur. Narrat autem Evangelista, quod audítu salutatiónis Elisábeth prævénit infántem, et quod sensu præséntiæ Dei et Matris ejus, infans prævénit matrem. Sic ergo ut Elisábeth audívit salutatiónem Mariæ, miro modo ex virtúte Christi in verbo Matris factum est, quod in gaudio et sensu præséntiæ Dei, infans non fari potens, nec liberas vitæ cápiens auras, exultávit: quod motum córporis, sonat ex gaudio cordis procedéntem. Atténde quam lætus fuit in audítu ipse infans, qui præséntiam Dei sensit voce Vírginis per aurem suæ matris et prævénit eam quæ vocem ipsam autem eum suscepérat.

LÉCTIO VIII.

Et exclamávit Elisábeth: videámus autem quid clamat. Clamat Matris Dei benedictionem, honórem, admiratiónem et beatitúdinem: unde hoc mihi? hoc est, i quo pacto, vel débito, vel mérito, vel dignitáte? Prorsus nulla.... Sed quod non tibi, ¡O Elisábeth! hoc sibi debétur, quæ quanto maior est, humílliat se in ómnibus, sequens adórem et séntiens fructum sui ventris, qui díxit: "Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat." Quod ergo Mater Dómini venit ad nos, suæ humilitátis est, cleméntiæ et dignatiónis. Honórem igitur habébimus Dóminæ et Matri nostræ, ómnibus diébus vitæ nostræ, véniens ad nos in spíritu humilitátis et in obséquiis pietátis, inébrians nos lacte puritátis et dulcíssimæ suæ consolatiónis. Ecce béata quæ crédidit quóniam perficiéntur ea quæ sunt ei dicta a Dómino. Demus ergo magnificéntiam Deo nostro, quia perfécta Dei sunt ópera redemptiόnis, sicuti perfécta sunt ópera creatiόnis, et sperémus quod ita perficiéntur ópera glorificatiόnis, ut occurrámus omnes in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

CIA

se

LECTIO IX.

Mérito Matrem Dei, simpliciter et universáliter, dicent beátam omnes generatiónes. Cum enim Dóminus salútem nostram operátus sit in ipsa, tanquam in medio terræ operátus est eam. Ipsa enim B. Virgo médium terræ dicitur propriétate illa medii qua ad ipsam ómnia extrémá sicut ad reparatricem respiciunt. Coeléstium quippe generátio, quia per eam quæ in celo corruérant sunt restauráta; terréstrium vero, quia omnes qui véniunt ab oriénte et occidénte, vel ab aquilóne et meridie, per eam sunt reconciliáta. Infernórum autem, quia tam his, qui in Limbo patrum Christum expectábant, quam illis qui in Purgatório contínuo purgántur, per ipsum sunt a captivitate redúcti. Unde ipsa est Múlier quæ in celo amícta sole apparuit in splendóre divíno, et corónam duódecim stellárum, hoc est claritátis sanctórum restaurátæ ruinæ habuit in cápite. Ipsa est étiam quæ in mundo grátia plena effúlsit. Ipsa est de qua ejulántes clamant apud inferos dæmones: "una múlier hebréa fecit confusiónem in domo Nabuchodonósor regis," qui

Diabólum significat: unde étiam dicitur, tu glória Jerúsalem, tu lætítia Ísraël, tu honorificéntia popúli nostri: Vel adhuc omnes generatiónes virórum, muliérum, conjugatárum, víginum, viduárum, vivéntium, moriéntium, mortuórum beátam dicent. Virórum enim generátio dicit beátam quia ad viros per eam propagáta benedictio, sicut per primam matrem maledictio. Muliérum autem generátio beátam dicit, quia per eam liberáta est a maledictiónis opróbrío. Víginum generátio dicit beátam, quia Virgo víginum est, flos florum, florem servans pudicitíæ, quæ nunquam emárcuit. Viduæ autem prædicant in Annæ persóna, Lucæ cápite secúndo. Conjugatæ autem in persóna Elisábeth clamant: "Beáta quæ credidisti:" omnes enim fuerunt filiæ suæ per grátiam, quas viscéribus charitátis progenuit sicut viscéribus carnis Redemptórem édedit.

